ſacramenti effectum, ſcilicilicet, gratiam ſanctificantem, & qui ſufficit ad validitatem ſacramenti, etiam ad effectum ſufficere, in aliis verò ſacramentis talis diſpoſitio ad effectum ſacramenti requiſita ab eorum materia omnino eſt diſtincta. Ad ultimum tandem negatur etiam aſſumptum; quòd ſcilicet, in hoc ſacramento requiratur etiam per modum diſpoſitionis ad ejus effectum conſequendum explicita fides, & notitia myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis, ſufficit enim implicita, & confuſa, ut patet in rudibus, & idiotis, ut dictum eſt *lib. 3. diſp. 6. de fide*.

401 Quartò arguunt, varios caſus afferendo, in quibus hoc ſacramentũ eſſe poteſt validũ, ſed informe. Primus caſus eſt, ſi pęnitens abſque ulla ſua culpa in integritate cõfeſſionis deficiat, & adhibita tota debita diligentia adhuc aliquod peccatũ mortale prætermittat; nam in tali caſu licèt confeſſionẽ validã faciat, non tamen reciperet effectũ gratię, quia unũ peccatũ mortale ſine alio remittitur. Secundus caſus eſt, ſi pęnitens bona fide accedat cum ſola attritione de ſuis peccatis, & non cum perfecta cõtritione ex motivo dilectionis Dei ſuper omnia, quia putant, hanc contritionẽ eſſe ſaltem de neceſſitate diſpoſitionis ad obtinendã gratiã, licèt non ſit de neceſſitate valoris ad ſubſtantiam ſacramenti. Tertius caſus eſt, ſi pęnitens accedat quidem cum attritione, ſed deficiẽte ex parte formalis motivi, cùm enim attritio poſſit eſſe ex variis motivis, utpotè ob turpitudinẽ peccati, ob metũ Inferni, vel ob humana incommoda; ideò eſſe poſſunt varii modi dicẽdi, quòd attritio ex aliquo de his motivis ſufficit ad valorẽ, non autẽ ad effectũ ſacramenti. Quartus caſus eſt, ſi pęnitens accedat cũ dolore ſolùm per modũ ſimplicis, & inefficacis diſplicẽtię abſque efficaci retractatione de præterito, & propoſito de futuro, nã poterit in tali caſu ſacramentum ſed informe, ſi pęnitens bona fide accedat invincibiliter, non advertens talem defectum, ſed putans, ſe habere efficacem retractationem de præteritis peccatis, & efficax propoſitũ de futuro; nã hoc pacto verè, & realiter peccata deteſtatur, & abhorret, & de iis ſeriò; & ex animo ſe accuſat, tanquam de objecto pravo, ac deteſtabili, videturque hęc eſſe verè, & propriè accuſatio, quantùm ad ſubſtantiam judicii requiritur; licèt ex ſua imbecilitate, & inadvertentia deficiat pęnitens ab illa efficacia, & firmitate, quę alioquin ad recipiendam gratiam requiritur, quarè in tali caſu ſacramentum erit validum, ſed informe. Hos, & quoſdam alios caſus affert Averſa *loc. cit.* quorum quoſdam recipit, & approbat, alios verò reiicit, & excludit.

402 Reſp. hos omnes caſus excludendos eſſe, nec ullum probare ſufficienter poſſe aliquando hoc ſacramentum eſſe validum, ſed informe; Primus quidẽ non ſufficienter id probat, quia non apparet qualiter ex defectu inculpabili integritatis confeſſionis poſſit eſſe hoc ſacramentum validũ, ſed informe; cùm enim ex ſuppoſitione fecerit debitam diligentiam, quantam de rigore morali tenebatur non ſolùm in tali caſu confeſſionem validã facit, ſed etiã tunc recipit ſtatim effectũ gratiæ, per quam directè remittuntur peccata cõfeſſa, & indirectè alia inculpabiliter oblita, ut concedũt Theologi paſſim, & cõſtat ex dictis *n. 397.* alioquin difficile nimis eſſet hujus ſacramenti remedium, & nimis aperto periculo expoſitum carendi effectu, cùm facilè, & frequenter contingat, ut etiam poſt exactam, & exquiſitam diligentiam aliqua peccata commiſsa in memoriam non redeant, nec fortè poſteà ampliùs in toto vitæ curriculo; Undè paucis exceptis omnes ferè concedunt, ex ſolo defectu integritatis materialis nunquam confeſſionem eſſe poſſe validam, & informem, vel enim hic defectus accidit ex ignorãtia vincibili à peccato mortali non excuſante, & in hoc caſu non tantùm informis erit, ſed etiam invalida, & repetenda; vel accidit ex ignorantia invincibili, & naturali peccatorũ oblivione, quia poſt diligens examen memoriæ non occurrunt, & in hoc eventu confeſſio non tantùm erit valida, ſed etiam formata, & fructuoſa; atque ideò ex ſolo integritatis defectu nunquam confeſſio valida, ſed informis dari poteſt. Nec etiam ſecundus caſus probat intentum, quia ut ſuprà viſum eſt, ac rurſus dicemus *q. ſeq.* non tantùm ad effectum, ſed etiam ad valorem ſacramenti ſufficit ſola attritio, quæ habeat alias conditiones requiſitas, quamvis à perfectione contrionis deficiat, itaut etiam accedens cum attritione cognita, ut tali, ſuſcipiat ſacramentum, & effectum, ut dictum eſt *q. 6. n. 170.*

404 Nec etiam tertius caſus ſufficit ad id probandum, quia ut eadẽ *q. 6.* dictum eſt, ſola attritio ob turpitudinẽ peccati, vel ob metũ Inferni ex Conc. Trid. tàm ad valorem, quàm ad effectũ ſacramenti ſufficit, non autem ob humuna incõmoda, ut ſic merè ſumpta; quia accuſatio ſacramentalis debet eſſe talis, quæ participet de genere moris, & retractet præteritam voluntatem, qua homo in peccatum conſenſerat, & ſaltem implicitè referatur in Deum, ut ſuper ipſam abſolutio cadere poſſit, attritio verò de peccatis ob humana ſolùm incommoda non conſtituit accuſationem de peccatis propriè, ut peccata ſunt, & moraliter mala, ac deteſtabilia, ſed ſolùm, ut naturaraliter mala, & incommoda, ac noxia. Nec denique urget quartus caſus, quia ea inefficax diſplicentia, quantùm eſt ex natura ſua, poteſt ſecum cõpati abſolutam complacentiam, & volũtatem peccãdi qua ratione dictum eſt ſuprà *n. 398.* dolorem ad eſſentiam hujus ſacramenti requiſitum efficacem eſſe debere, quia continere debet, & deteſtationem peccati cõmiſſi, & propoſitũ de cætero non peccãdi quod utique efficax eſſe debet, & abſolutum, alioquin omnem peccãdi voluntatẽ non excluderet; Nec juvat dicere, pęnitentẽ in tali caſu bona fide accedere putans invincibiliter, ſe habere efficacem retractationem de præteritis peccatis, & efficax propoſitum de futuro ut urget Averſa *loc. c.* Quia Conc. Trid. ad validã hujus ſacramenti ſuſceptionem talem requirit attritionem, *quæ voluntatem peccandi excludat*, talem verò voluntatẽ minimè excludit illa inefficax diſplicentia, quantũ eſt ex natura ſua, eſto à pęnitente putetur efficax, quia talis exiſtimatio nihil ponit in re; ut ergo attritio ad validè ſuſcipiendũ hoc ſacramentũ ſufficiat, debet eſſe efficax verè, & realiter, & non tantùm in opinione, & exiſtimatione pęnitentis. Accedit etiam ratio, quia neceſſitas hujus diſpoſitionis ex parte pęnitẽtis non eſt tantùm pręcepti oriens ex obligatione, ſed etiã medii ex ratione ipſius inſtitutionis hujus ſacramenti, quia ſcilicet, Deus pro materia neceſſaria hujus ſacramenti actus ipſius pęnitentis inſtituit, non inefficaces, ſed efficaces, ſed in his, quæ ad ſacramentorum valorem ſunt neceſſaria ex ipſorũ inſtitione, non ſufficit exiſtimatio, ſi re vera non exhibeantur, quid enim prodeſt validitati ſacramenti, quòd quis bona fide exiſtimet, ſe abſolvi à Sacerdote, ſi re vera ille non eſt ſacerdos; ergò ad valorem hujus ſacramenti nil prodeſt exiſtimatio attritionis efficacis, ſi in re talis non exiſtat.

403 Quintò tandem arguunt, ſacramentum pęnitentię poſſe eſſe validum in ratione ſacramenti, ſed informe ex defectu doloris extenſivè, & hic eſt potior caſus, quem cum Suarez *diſp. 10. ſect. 5.* urgent cęteri Recentiores oppoſitæ ſententię; Nam fieri poteſt ut defectus ſit in ipſa attritione extenſivè, ut ſi quis habens duo peccata mortalia v. g. furti, & odii, immemor invincibiliter unius accedat ad ſacramentum, & quòd tantùm habeat volorem alterius, quod confiteatur, ex peculiaribus motivis v. g. turpitudinis peccati illius in ſpecie, quod motivũ non extendatur, nec cõplectatur aliud diſparatum crimen diverſæ rationis, ac ſpeciei invincibiliter oblitũ; tunc enim videtur, ſacramentum eſſe validum, quia habet omnes ſuas partes eſſentiales, & continet ſufficientem attritionem de peccatis in confeſſione deletis. Sed non conferre effectum, quia non remittitur illud peccatum, de quo non habetur dolor, nec remittũtur alia peccata ſine illo, cùm gratia omnia ſimul remittat, & ita in tali caſu ſacramentum validum erit, ſed informe. Confirm. quia ad eſſentiam ſacramenti pęnitentiæ tantùm requiritur ex parte pęnitentis, quòd confiteatur integrè omnia peccata ſua, quorum memoriam habet, cum dolore ipſorum peccatorum, & cum propoſito non peccandi de cætero nihil enim aliud petitur in Florent. & Trid. ex parte pęnitentis; ſed ſtat, aliquem ſic confiteri, & quòd nihilominus gratiam non conſequatur virtute abſolutionis, ut in caſu adducto; ergo poteſt dari confeſſio informis. Tandem probatur, quia dolor, qui requitur ut diſpoſitio ad effectum, ſeù gratiam ſacramenti, non requiritur ad eſſentiam, & valorem illius, ſiquidem ad valorem, & eſſentiam ſacramenti, ſufficit, quòd ſit eorum mortalium, quorum ſit confeſſio, non tamen requiritur, quòd ſit aliorum, quorum non ſit confeſſio ob oblivionem naturalem, ſeù invincibilem; non enim peccat in non dolendo de omnibus, prudenter credens non habere alia peccata mortalia, niſi ea, quæ confiteatur: at ad effectum hujus ſacramenti requiritur dolor omnium peccatorum nondùm remiſſorum, quia in hoc ſacramento unum peccatum non remittur ſine alio, neque remittitur abſque proprio, & expreſſo actu pęnitentiæ ſaltem virtualiter in illud tendente, & ob motivum illud compræhendentes: ergo ex defectu doloris extenſivè modo prædeclarato poteſt dari ſacramentũ validum pęnitentiæ, ſed informe, & ſine fructu.

Reſp. negando majorem, ut patet ex dictis *n. 397.* nam eſtò in eo caſu pęnitens accedat ſolùm cum formali dolore unius peccati, & non alterius, cujus ſupponitur invincibiliter oblitus, adhuc cenſeri debet confeſſio illa, nedum valida, ſed etiam formata, aliudque peccatũ indirectè cum illo remiſſum, quia ob ſufficientem diligentiam adhibitam cenſetur promptus ad eliciendum actum doloris etiam circà aliud peccatum inculpabiliter oblitũ, ſi mẽti occurreret, & conſequenter dolor formalis v. g. furti, de quo confitetur, cenſetur etiam virtualiter extendi ad aliud; quod mẽti non occurrit, talis enim virtualis extenſio conſiſtit præcipuè in ea prõptitudine etiam de eo dolendi, quando menti occurreret; Et licèt motivũ doloris formalis furti ſit propria ipſius turpitudo in ſpecie, hoc nõ impedit, quin etiam talis dolor poſſit ad aliud peccatum oblitũ virtualiter extendi ſaltem ratione turpitudinis genericę, quatenus peccatũ eſt, & offenſa Dei: non enim dolore poteſt de peccato furti quatenus eſt furti tantùm, non dolendo de ipſo, ut habet rationem peccati, ut ſic: nec poteſt dolere de turpitudine peccati ſpecifica tãtùm, nihil prorſus curãdo de generica: eo autẽ ipſo, quòd dolor formaliter attingit in furto turpitudinem peccati genericã in ſpecifica incluſam, terminatur etiam virtualiter ad peccatũ oblivioni traditũ, qui enim dolet de peccato, ut ſic, dolet virtualiter de quocumque etiam invincibiliter oblito, & per hãc doctrinam optimè, ſolvitur argumentum illud, quod eſt pręcipum oppoſitę ſententiæ fundamentũ, quæ proindè valdè ponderanda eſt. Ad Conf. negatur minor, quia ob rationem allatam etiam in eo caſu confeſſio non tãtùm valida eſſet, ſed etiã formata, & gratiã conſequetur pęnitens,

quia

quia ejus dolor virtualiter extenderetur etiam ad peccata, invincibiliter oblita, modò jam explicato. Ad ultimum negatur major cum ejus probatione, quia ut dictum eſt ſupra *n. 392.* idem dolor, qui ſufficit ad validitatem, ſufficit etiam ad effectum hujus ſacramenti, quia Concilia unum dolorem non diſtinguunt ab alio, neque duplicem dolorem aſſignant, quorum unus ad validitatem ſufficiat, & alter magis perfectus ſit neceſſarius ad effectum, & licèt ad valorem, & eſſentiam ſacramenti ſufficiat dolor formalis eorum mortalium tantùm, quorum ſit confeſſio, nec requiratur, quòd ſit formaliter aliorum, quorum non ſit confeſſio ob naturalem eorum oblivionem: adhuc tamen requiritur, quòd ſaltem virtualiter ad ea extendatur, modo jam explicato, etenim hac virtuali doloris extenſione deficiente etiam ad oblita inculpabiliter, eſtò non peccaret, non dolendo de ipſis ob ignorantiam invincibilem, quæ à peccato excuſat; non tamen fieret in eo caſu validum ſacramentum, ſiquidem deficeret materia neceſſaria, quæ eſt dolor reconciliativus cum Deo, talis autem dolor continet ſaltem implicitè, & virtualiter deteſtationem omnium mortalium, etiam inculpabiliter oblitorum, ut dictum e… 393.

405 Quæres, an ſaltem dari poſſit ſacramentum validum, & informe reſpectu peccatorum venialium. Reſp. negativè cum Amico *loc. cit.* dupliciter enim poteſt de venialibus eſſe confeſſio, vel de venialibus ſolis, vel de venialibus annexum habentibus aliquod mortale, invincibiliter tamen oblitorũ; primo modo certum eſt, hoc ſacramentum non poſſe eſſe validum, & informe, vel enim in tali caſu accedit pęnitens ad confeſſionem cum dolore ad eſſentiã ſacramenti ſufficiente, vel non; ſi non, non modò ſacramentum erit informe, ſed etiam invalidum, ut conſtat; ſi primum, jam erit ſimul validum, & formatum, cùm omnia novæ legis ſacramenta ſtatim gratiam afferant obicem non ponenti, habens enim venialia ſolùm nullum ponit obicem, ſi accedat cum dolore ſaltem ſufficiente ad remiſſionem unius venialis, & non omnium, talis enim ſolus dolor ſufficit in cõfeſſione venialium, ut patebit *q. ſeq.* ſecundò modo contendunt Adverſarii, dari poſſe ſacramentum de venialibus confeſſis validum, & informe defectu doloris, non ſe extendentis ſuprà mortale invincibiliter ignoratum; Sed hoc etiam eſſe falſum, ſatis conſtaret ex dictis in probatione noſtræ ſententię quia cùm ad eſſentiam hujus ſacramenti requiratur dolor reconciliativus peccatoris cum Deo, & hic virtualiter extendatur ad omne mortale etiam invincibiliter oblitorũ, utpotè quod eſſe poſſet impedimentum talis reconciliationis, ſequitur evidenter neque in tali caſu dari poſſe ſacramentum validum ſimul, & informe defectu doloris, cùm omnis dolor ad eſſentiam hujus ſacramenti requiſitus ſit etiam ad ipſius effectum, ut ſuprà dictum eſt.

QUÆSTIO DECIMAQUINTA.

De interiori pœnitentia in confitente requiſita, & diſpoſitione ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum neceſſaria.

407 IAm ſuprà diximus *q. 11.* hujus *diſp. ar. 1.* alteram partem materialem, & eſſentialem hujus ſacramenti eſſe contritionẽ, prout denotat internam animi diſpoſitionem pręter cõfeſſionem externam, ad quam eſt diſpoſitio; Verùm quia contritionis nomẽ msgis propriè ſumitur pro perfecta animi diſpoſitione, ac deteſtatione peccati, quę ab attritione diſtinguitur, ut viſum eſt ſuprà *q. 5. & 6.* & eſſentialis hujus ſacramenti materia, non ad perfectam contritionem reſtringitur, ſed etiam ad attritionem extenditur, ideò volentes in hac quæſtione declarare debitam diſpoſitionem ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum, ad tollendam ambiguitatem, eam in communi nominamus interiorem pœnitentiam confitentis, quæ hanc, & illam ſub ſe compræhendit. Quoniam verò dupliciter poteſt requiri dolor ad ſacramentum pęnitentiæ, uno modo ad conſtituendam eſſentiam, alio modo ad conſequendum fructum, & effectum ejuſdem, qui eſt gratia; & in præcedenti quæſtione determinavimus cum opinione probabiliori, nullum dolorem ſufficere ad valorem ſacramenti, qui non ſufficit etiam ad ejuſdem effectum, ſive ad gratiam percipiendam; ideò hic abſolutè inquirimus, quæ, & qualis diſpoſitio ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum requiratur non ſolùm ad effectum, ſed etiam ad eſſentiam hujus ſacramenti conſtituendam; non enim putamus, imperfectiorem dolorem requiri ad eſſentiam ſacramenti, quàm ad ejus effectum, qui enim ad unum ſufficit, ad aliud quoque ſufficiens erit, ut jam probatum eſt *qu. præced.* Hujus autem quæſtionis deciſio pendet omninò ex dictis de Contritione, & Attritione *q. 5. & 6.* & ferè nil aliud addendum eſſet pręter ibi dicta, nihilominùs ad majorem rei declarationem eorùm quæ ibi dicta ſunt, adhuc magis explicare, & alia de novo addere, nun erit inutile.

ARTICULUS PRIMUS.

Reſolvitur Quæſtio.

407 PRimò Dicendum eſt, aliquem actum interioris pœnitentiæ, ſeù aliquem dolorem formalem, & expreſſum eſſe neceſſarium non ſolùm ad effectum, ſed etiam ad eſſentiam hujus ſacramenti, ita quòd ut confeſſio ſit valida non ſufficit, negativè ſe habere neque complacendo, neque diſplicendo, ſed omnino requiritur formalis diſplicentia, & dolor peccatorum. Ita communiter Doct. contrà Silveſtr. Roſſellam, & alios quoſdam Summiſtas dicẽtes, quòd ſi quis integrè omnia peccata ſua confiteatur, & abſolvatur, licèt negativè ſe habeat formaliter, quoad hoc, quod complacere, vel diſplicere de peccatis; nihilominùs verum recipit pęnitẽtiæ ſacramentum, imò & gratiam, quia ipſa volũtaria abſolutionis ſuſceptio ſine obice peccati actualiter voliti, & in quo complaceat eſt quædam virtualis attritio, quæ ſufficit, ut virtute ſacramenti gratiam conſequatur, quæ opinio ſolet etiam tribui Scot. *4. d. 14. q. 4. art. 3.* ubi ſignificare videtur, ad hoc ſacramentum aliam diſpoſitionem ex neceſſitate non requiri, niſi voluntatem illud ſuſcipiendi, & ſublationem impedimenti, quod eſſet actualis complacentia, & voluntas peccati. Hæc aſſertio definita eſt in Conc. Flor. & Taident. quæ Concilia explicari non poſſunt de dolore virtuali, nam hic ſalvari tantùm poteſt, cùm peccata actu memoriæ non occurrunt, at verò ad ſacramẽtũ Confeſſionis neceſſaria eſt actualis memoria peccatorum, quæ ſunt confitenda. Et quidem Trid. *ſeſſ. 14. cap. 3.* & 4. poſtquam definivit, contritionem eſſe partem ſacramenti pœnitentiæ ſtatim explicat, hujuſmodi contritionem importare animi dolorem, & peccati deteſtationẽ; qui autem peccata ſua confitendo merè negativè ſe habet, non dolet verè, & propriè; ergò dolorem non habet ad eſſentiam hujus ſacramenti neceſſarium, & tanto minùs ad ejus effectum percipiendum. Accedit, contritionem eſſe partem hujus ſacramenti eſſentialem, & ad ejus eſſentiam neceſſariò requiſitam, ut ſuprà dictum eſt; ergo talis interior pœnitentia per modũ actus formalis, & expreſſi neceſſariò requiritur pręſertim ad recipiendum hujus ſacramenti effectum, hic enim non cauſatur, niſi à ſacramento eſſentialiter perfecto; quapropter Vaſq. oppoſitam ſententiam non dubitavit appellare erroneam, & contrà omnes Doctores *q. 92. ar. 1. dub. 1.*

408 Neque Doct. oppoſitum docuit *loc. cit.* nam eadem *d. 14. q. 1. ar. 2.* ex profeſsò docet, peccatum non dimitti, niſi per penitentiam, ſive per penam volũtariã; pœnitentia autem, ut ſæpè diximus, eſt duplex perfecta, & imperfecta; perfecta eſt contritio, quæ ex ſe eſt ſufficiens diſpoſitio meritoria de congruo ad conſequendã gratiam, etiam extrà ſacramentu; imperfecta verò, quæ eſt attritio, nõ eſt ex ſe ſufficiens, ſed cum ſacramento pęnitentiæ, & ideò hæc ſaltem eſt neceſſaria diſpoſitio ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum. Deindè eadem *d. q. 4.* in ſolutione ad 2. princ. dicit, antè dignam hujus ſacramenti ſuſceptionem opus eſſe, ut peccator ſuſcitetur vel ſimpliciter, quod ſit per contritionem, vel ſecũdum quid, quod ait, fieri per aliqualem diſplicentiam de peccato, quæ nimirum eſt attritio, quod etiam anteà docuerat eadem *d. 14. q. 2. ar. 2.* ubi ait, rurſus deteſtationem peccati eſſe duplicem; unam, quæ eſt perfecta, & cum omnibus circumſtantiis, quæ eſt contritio; aliam, quæ eſt imperfecta, & caret aliqua, vel aliquibus circumſtantiis, & eſt attritio. Quandò ergo inquit *loc. cit.* ad dignè ſuſcipiendum pœnitentiæ ſacramentum ſufficere, ut pęnitens nec actu, nec virtualiter adhæreat peccato, & quòd habeat voluntatem ſuſcipiendi ſacramentum, & abſtinendi à peccato, nec requiri aliquod opus internum, abſolutè negare noluit, aliquod opus internum requiri, ſcilicet, dolorem aliquem internum, ſed talem dolorem, qui neceſſariò ſit contritio, de qua ibi loquebatur, adeò ut ſenſus ſit, non requiri illam perfectam diſpoſitionem, quæ alioquin eſt neceſſaria extrà ſacramentum, & ita Doctorem ibi intelligunt, non ſolùm Faber ex noſtris, ſed etiam Averſa, Amicus, Caſpenſis, & alii Recentiores paſſim, qui ajunt, oppoſitam opinionem immeritò Scoto tribui, quia expreſsè communem docuit ſententiam non ſolùm *loc. cit. d. 14.* ſed etiam *d. 17. de articulo verſ. continet etiam qualiter, & d. 19. ſ. ad qu. verſ. concedo iſta*, quibus in locis apertè docet, non ſatis eſſe ad hoc ſacramentum accedere cum ſola voluntate illud recipiendi, ſed præterea neceſſarium eſſe dolorem formalem, & expreſſum de peccatis commiſſis, non ſolùm ad effectum, ſed etiam ad eſſentiam hujus ſacramenti.

409 Secũdò dicendum eſt, ad valorem, & effectum hujus ſacramenti non ſufficere dolorem de non dolore, ſed dolorem, & diſplicentia de ipſis peccatis eſſe debere. Hæc etiam aſſertio communis eſt contrà Silveſtrum, Navarrum, Emanuel Sa, & quoſdam alios Summiſtas dicentes, quòd ſi quis accedat ad Confeſſionem nõ ſentiens in ſe verum dolorem ſuorum peccatorum, nec ad illum cõcipiẽndum induci poſsit, debere induci, ut ſaltem habeat diplicentiam de hoc ipſo, quòd nõ habeat illum dolorem, ſive ut habeat deſiderium habendi illum, & hoc ſufficere ad recipiẽdam abſolutionem; Hoc autem jam ſuprà probavimus *q. 6.* hujus *diſp. ar. 3. n. 173.* & rurſus probatur, quia accuſatio ſacramẽtalis eſt de ipſis peccatis; ergo & eorũdem peccatorum deteſtationem involvere debet & pęnitentia, quæ in Scripturis requiritur, & toties peccantibus inculcatur, planè intelligitur de ipſis peccatis; Quo autem pacto modus ille dicẽdi defendi poſsit, ibidem jam explicatum eſt *n. 174.* & fortè non in alio ſenſu locuti ſunt Summiſtæ illi, Diximus etiã ibidem *n. 176.* minimè opus eſſe, quòd prædictus dolor confeſsionem præcedat ordine temporis, ut cõtendunt Coninchius, Lay-

man,

man, & quidam alii Recentiores;ſed ſatis eſſe,ſi ipſam ſequatur ante abſolutionem,& fortè etiam ſi in ipſa abſolutione ſeù abſolutionis actu concomitetur, ut dictum eſt *q.13.ar.1.q.379.*licèt probabilius ſit,debere actum doloris ad abſolutionem ſupponi,ſicut confeſſio ipſa, quia hæc tota eſt materia; ſuper quam cadit abſolutio, nec proferri poteſt judicialis ſententia, niſi poſt accuſationem: ille ergo dolor,qui eſt de ſubſtantia, & valore hujus ſacramenti, ad abſolutionem ſupponi debet, quia hoc ſacramentum miniſtratur per modum judicii reconciliativi, in quo antè abſolutionem præſupponitur cognitio cauſæ,& dolor de peccato commiſſo. Quãdo autem hic dolor tempore cõfeſſionem præcedit, non oportet, antecedenter referri ad confeſſionem, ita ut talis dolor tùc elici debeat ex voluntate confitendi, & in ordine ad confeſſionem, ut aliqui dixerunt,quibus favet Suarez *diſp.20.ſect.4.n.29.* Sed ſatis eſt, ſi antecedenter habuerit dolorem, & conſequenter determinet confiteri, ut notat Lugus *diſp.14.ſect.4.*& Averſa *q.11.ſect.1.* nec ſemper neceſſe eſt, ut ex prævia voluntate confitendi inducatur pœnitens ad procurandum in ſe dolorem; & planè interdum ita contingit, ut dolens quis de ſuis peccatis, & periculoſum animę ſuę ſtatum conſiderans, indè confiteri decernat, & ſuam conſcientiam examinet, ac reipſa confiteatur; idque cenſetur in praxi ſufficere ad recipiendum ſacramentum validè, & cum fructu.

410 Tertiò Dicendum eſt, non ſolùm quandocumque fit nova confeſſio de novis peccatis, & recipitur nova abſolutio,requiri novum, ac diſtinctum actum doloris, ſed etiam, quando fit nova confeſſio de antiquis peccatis,vel ex oblivione inculpabili prętermiſſis vel etiam confeſſis. Hæc eſt contrà Ledeſmam, Dianam, Jan. de Cruce, & alios Sũmiſtas dicentes, quando fit nova confeſſio de peccatis jam confeſſis, vel ex oblivione prætermiſſis, non requiri novum dolorem, ſed ſufficere eundem priorem actum doloris cum nova confeſſione, quia adhuc cenſetur moraliter, & virtualiter durare prior actus doloris; eſt etiam contrà Averſam *loc. cit.* qui cum Henriquez licèt admittat,de peccatis jam confeſſis,& directè abſolutis requiri alium actum de novo,de peccatis tamen oblitis, & ſolùm indirectè abſolutis ait, in nova cõfeſſione eundem actum prioris doloris ſufficere poſſe; Et quidem in nova, ac repetita cõfeſſione de peccatis aliàs confeſſis novum, & diſtinctum doloris actum requiri, jam probatum eſt ſuprà *q.12.ar.1.n.344.q.* quia debet eſſe nova, ac diſtincta materia proxima pro nova forma, & nova ſubſtantia ſacramenti, hæc autem materia proxima in hoc ſacramento eſt contritio,& confeſſio, quare ſicut dari non poteſt denuò abſolutio, niſi adſit nova confeſſio,ita etiam niſi adſit nova contritio, ſeù novus dolor;Tùm quia jam prior confeſſio, & contritio totum ſuum habuit effectum,& complementum, & fuit informata adæquatè, ac directè per abſolutionem;ideòque non videtur, poſſe iterũ ac deinceps pro nova abſolutione recipienda, & novo ſacramento conſtituendo deſervire. Quòd verò novus etiam requiratur dolor in nova confeſſione de peccatis jam oblitis, & poſteà menti occurrentibus, nec prior dolor in præcedenti confeſſione habitus ſufficere poſſit, probatur evidenti ratione,quia dum quis ritè cõfitetur, ſed aliqua peccata obliviſcitur,etiã facto diligenti examine,in tãtùm dicitur indirectè quoque abſolvi à peccatis oblitis,in quãtùm habuit dolorem univerſalem de omnibus peccatis cõmiſſis invincibiliter oblitis,ad quę talis dolor cenſetur ſaltem virtualiter extendi; hæc autẽ virtualis extenſio doloris ſic ab omnibus explicatur, quòd ob ſufficientem diligentiam adhibitam pęnitens cenſetur promptus ad eliciendum actum doloris formalem circa peccata oblita,& ad illa in confeſſione manifeſtanda,ſi menti occurrerent; ergo talis virtualis extẽſio doloris neceſſariò petit, ut quotieſcumque peccata jã oblita, & indirectè remiſſa menti occurrunt, circà illa eliciat novum doloris actum in nova confeſſione de illis facienda; Undè quamvis dolor habitus in præcedenti cõfeſſione, quatenus etiam virtualiter cadẽs ſuper peccata oblita, nõ fuerit directè informatus priori abſolutione, ſiquidem tunc non adfuit eorũ accuſatio, adhuc ſuccedente accuſatione non per ſe ſufficit ad recipiendam abſolutionẽ, ut contendit Averſa,quia virtualis extenſio prioris doloris ad peccata oblita petit,ut quotieſcumque menti occurrunt,novus,& formalis dolor circà illa eliciatur, talis enim virtualis extenſio in ea promptitudine conſiſtit dolendi de illis peccatis oblitis, quotieſcumque menti occurrerent, ut dictum eſt *præced. n.397.*

411 Quartò Dicendum eſt, ſimul cum dolore requiri propoſitũ de cætero non peccandi; ita omnes Theologi docent, & præſertim Scotus *4. d. 14. q. 4.* in ſolutione ad *1. argum.* ubi ad rationem contritionis cum diſplicentia de peccatis cõmiſſis exigit etiã propoſitum cavendi de cætero, & poſteà definitum eſt in Tridentino *ſeſſ.14.c.4.* ubi hoc propoſitum ponit in definitione contritionis, cum inquit,quòd eſt dolor,ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero,& *ſeſſ. 6. c. 6.* idem propoſitum recenſet inter diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitas; nam hoc includitur in ipſo dolore efficaci peccatorum, ubi nomine doloris compræhendimus etiam ejus cauſam, nempè peccati deteſtationẽ ſeriam, & efficacem; Et ſicut peccati deteſtatio debet eſſe ſeria, & efficax, talis etiam debet eſſe voluntas de cætero abſtinẽdi à peccato;neque ſufficit volitio inefficax,ſiquidem cum ea ſtare poteſt voluntas efficax peccãdi in futurum, ut patet in exemplo proiiciẽtis merces in mari ob metum tẽpeſtatis, qui utique nollet merces proiicere,ſi aliter vitam ſervare poſſet. Solùm controverſia eſt, an hoc propoſitum ſemper debeat eſſe explicitum, & actuale,an interdum ſufficiat implicitum,& virtuale, quam jam tractavimus *q. 5.* hujus *diſp.ar.2.n.111.* ubi diximus per ſe,& regulariter loquendo neceſſarium eſſe formale, & explicitum propoſitum non peccandi in poſterum;per accidens tamen, & in aliquo caſu defectu conſiderationis,aut temporis ſufficere virtuale,& implicitum,nam ſaltem quãdo pęnitens invincibili ignorãtia talis propoſiti laborat, aut nulla ſubeſt futurę vitæ memoria,ſed ſolius præteritæ deteſtandę,ſufficere videtur virtuale propoſitũ eſſentialiter incluſum in ipſo efficaci peccatorum dolore,quæ dùm efficaciter pęnitẽs deteſtatur, virtualiter,& exercitè proponit eadem amplius non cõmittere;Secus autem eſt,ſi ſubſit memoria futuræ vitæ, & formalis propoſiti de cætero non peccandi; tùc enim tenetur explicitè tale propoſitum habere,ut loco citato ex inſtituto probatum eſt; Ex quo ſequitur, attritioni ſacramentali eſſe magis intrinſecam deteſtationem præteritæ vitæ,quàm propoſitum emẽdationis futuræ, quia ſine illa nullus poteſt eſſe dolor,benè tamen ſine propoſito ſaltem formali, undè Mairon *4.d.14 q.1.ad 4.*ait,ſatis eſſe propoſitum negativum non peccandi; Difficultates verò in contrarium ſolutæ ſunt *loc. cit.*

412 Quintò Dicendum eſt, ad confeſſionem validam,& fructuoſam non neceſſariò requiri contritionem perfectam, ſed ſufficere attritionem etiam cognitam, ut talem. Ita jam ſtatuimus *q. 6.* hujus *diſp. ar.3.n.170.& q.7.ar.2.n.194.cum Scoto 9.d. 14. q. 4.* in ſolutione *ad princ. & d. 19.* in reſponſione ad quæſtionem *§. contrà primum*,unde neque eſt neceſſaria attritio putata contritio,ut quidam dicunt,ſed ſufficit attritio etiã cognita,ut talis; Quòd expreſsè deducitur ex Trid. *loc. cit.* ubi loquens de contritione imperfecta, ſivè attritione ait, quòd quamvis ſine ſacramento pęnitentiæ (ſunt ejus formalia verba) per ſe ad juſtificationem perducere nequeat peccatorem,tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento pęnitentiæ impetrandam diſponit,quod intelligendũ eſt ultimò, & infallibiter, nam etiam extrà ſacramentum diſponit, ſed non proximè, & infallibiliter. Deindè hoc ipſum ſuadet ratio, quia Baptiſmus,& pœnitentia ſunt ſacramenta mortuorum, hoc eſt, ad ſuſcitandos ſpiritualiter mortuos per ſe inſtituta, & ſi contritionẽ perfectam prærequirerent,ut neceſſariam diſpoſitionem ad eorum valorem, & effectum percipiendum, nunquã mortuos ſuſcitare poſſent, cùm jam eos ſupponerent contritione ſuſcitatos; qua etiã ratione probatur,ſufficere attritionem etiam cognitam, ut talem, cũ enim prædicta ſacramenta ſint ad mortuos ſuſcitandos per ſe inſtituta,jam qui ſe mortuum ſentit per peccatum mortale,& ſolam attritionem in ſe experitur, licitè poteſt velle per Sacramentum ſuſcitari,atque ideò non eſt opus,ut credat,& putet, ſe eſſe cõtritum, ſeù contritione vivum,ut *loc.cit.*ex inſtituto probatum eſt,& difficultates in contrarium ſolutæ. Hic tamen addendum eſt ultrà ibidem dicta, quòd quando dicimus,ad valorem, & effectum hujus ſacramenti ſufficere attritionem,intelligẽdum eſt de attritione, quæ in re ſit talis,& non ſufficit tantùm putata,ut aliqui dixerũt nimis laxantes habenas;Ratio eſt,quia hæc requiritur, ut pars eſſentialis ſacramenti,cùm enim Concilia dicunt,dolorem de peccatis ad hoc ſacramentum eſſentialiter requiri,non de dolore putato loquũtur aut intelligi poſſunt,ſed de dolore vero,& reali, ſicut cùm dicunt, ad Baptiſmum aquam requiri, panem, & vinum ad Euchariſtiam, loquuntur de aqua,pane,& vino veris,& realibus, non autem putatis; Sacramentum verò non eſt validum, nec ſuum effectum conferre poteſt, niſi ſit eſſentialiter perfectum; ergo ad valorem, & effectum hujus ſacramenti non ſufficit attritio tantùm putata, quia talis exiſtimatio nihil ponit in re, & ſola notitia non mutat naturam objecti. Quare etiamſi pęnitens putet invincibiliter,ſe accedere diſpoſitum, ſi revera talis non ſit,effectum ſacramenti non cõſequitur, ſed tantùm à peccato excuſatur, imò ſacramentum eſt nullum, & irritum, quia deficit pars eſſentialis ſacramenti.

Cæterum quia aliqua attritio de peccatis cõmiſſis poteſt eſſe purè naturalis,& ex viribus naturę elicita,alia verò ſupernaturalis,nimirùm ex ſpeciali auxilio Dei,& impulſu Spiritus ſancti, & rurſus pluribus modis haberi poteſt,& ex pluribus motivis, nempè vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pęnarum metu,ut Trid. indicavit *ſeſſ.14.c.4.*ac etiam ob humana incommoda,ut ſi quis doleat de peccatis ob humanum incõmodum, & dãmnum,quod ex illis incurrit,præciſo ordine ad Deum, utpotè ſi incurrit infamiam,vel morbum,vel inopiam,vel alias pęnas in humano judicio,ut plerumque contingit;adhuc videndum reſtat, quæ, & qualis eſſe debeat attritio,quæ in confeſſione ſufficiat; undè juxtà jam dicta de his motivis ſuperiùs *q.6.* hujus *diſp. a. 1.* pro reſolutione breviter ſequentem adiicimus concluſionem.

413 Sextò Dicendum eſt, attritionem in confeſſione ſacramentali neceſſariam,& ſufficientem eſſe debere ſupernaturalem, & ex duobus motivis à Conc. Trid. aſſignatis *loc. c.* naturalem verò, & ex motivo humano merè elicitam non eſſe ſufficientem. Ita jam ſtatuimus *q.6. cit. ar. 1.* & quidem attritionem ad hoc ſacramentalem requiſitam eſſe debere ſupernaturalẽ, ſeù actum ordinis ſupernaturalis

ſaltem quoad modum,docet expreſsè Trid. *loc.cit.*ubi ait eſſe donum Dei,& ex Spiritus ſancti impulſu, & deducitur ex generali doctrina, quæ tradi ſolet in materia de gratia, ſcil. hominem non poſſe ex naturæ viribus ad juſtificationem ſe diſponere, ac pręparare abſque ſpeciali, & ſupernaturali auxilio & actus noſtros naturales, & ſolis naturæ viribus elicitos non eſſe idoneam diſpoſitionem ad gratiam, nec valere in ordine ad ſalutem,undè talis attritio ordinis merè naturalis nedùm ad effectum hujus ſacram. eſt inſufficiens,ſed etiam ad valorem,quia Concilium *loc.cit.* talem dolorem exigit, nempè ordinis ſupernaturalis, tanquam de neceſſitate, & ſubſtantia ipſius ſacram. Qua etiam ratione probatur,non ſufficere attritionem de peccatis ob humana incommoda,ſed eſſe debere elicitam,vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pęnarum metu;ut loquitur Concilium, & docent Suar. Vaſqu. Coninch. Amicus, Hurtadus, Averſa,& alii Recentiores, & facilè ſuadetur, quia accuſatio ſacram. & deteſtatio de peccatis debet eſſe formaliter de peccatis, prout mala ſunt, ac deteſtabilia in genere moris,& vel explicitè, vel ſaltem explicitè in ordine ad Deum, ut ſic enim ad hoc tribunal deferuntur, & cum hac diſpoſitione huic foro ſubjici debent, ut à Sacerdote, tanquam Judice conſtituto à Deo remittantur, ſed dolor de peccatis ob detrimentum merè humanum ex jis reſultans, vel etiam ab humano Judice inflictum, aut infligendũ eſt merè naturalis,nec eſt de peccatis propriè,& formaliter,ut ſunt mala,& deteſtabilia in genere moris, nec per ſe excludit voluntatem peccandi,nec induit moralem probitatem, & relationem ad Deum,nec alio modo ad ordinem ſupernaturalem elevatur ex vi talis motivi, ut etiam dictum eſt *q.6.cit. art. 1.n. 138.* ergo dicendum eſt,dolorem de peccatis ob humana incommoda, vel ex alio motivo merè humano non valere,nec eſſe de genere attritionis ſalutaris,& in ſacram. ſufficientis, qualis in Concilio deſcribitur. Talis autem è contrà eſt illa attritio, quæ peccata deteſtatur ob timorem Inferni,vel etiam Purgatorii, ac etiam aliarum pœnarum hujus vitæ,ſi conſiderentur, prout à Deo infliguntur in odium, & vindictam peccati,ut ibidem dicebamus;Talis etiam eſt attritio illa, quæ peccati deteſtatur ob eorum turpitudinem moralem, quia hoc motivum ſaltem implicitè in Deum refertur, ſicut etiam opera moralium virtutum exercere ob eorum honeſtatem, atque ideò utraq; attritio illa eſſe poteſt ſupernaturalis, & ad valorem, & effectum hujus ſacr. ſufficiens.Difficultates verò,quę fieri ſolent de dolore ex metu pęnarũ concepto,tanquã merè ſervili,ſolutæ ſunt *q.6. cit.n.139.* Ad verã tandem, & idoneam pęnitẽtiam non requiri certam actus intenſionem,nec durationem ſivè in ſacram. ſivè extrà ſacramentum,jam probatum eſt *q.5.art.2.n.101.& 108.*

414 Poſtremò dicendum eſt, interiorem pęnitentiam confitentis eſſe debere integram,& adæquatum de omnibus peccatis mortalibus formaliter,vel ſaltem virtualiter, nec poſſe unum mortale deteſtatur,quin ſimul alia commiſſa deteſtetur. Ita jam ſtatuimus q.5. hujus *diſp.art.3. n. 122.* ubi etiam diximus *n. 125.* non eſſe hoc ita intelligendum,quaſi opus ſit,ut unicuique peccato mortali ſua reſpondeat ſpecialis deteſtatio,ſivè per unũ,ſivè per diverſos actus,ſed ſufficere pęnitentiã de omnibus peccatis commiſſis in confuſo, & in generali ex Scoto *4.diſt.15.q.1.§.ex hc patet*, ac etiam paulò infrà *§.de quinto articulo*,quę omnia ibi fusè probata ſunt, & ibi vidẽda. Non tenebitur autem,qui bona fide putat,ſe non habere alia peccata mortalia,pęnitere,ac dolere ſub conditione, ſi quę fortè alia habeat;qui tamen rationabiliter de hoc timere poteſt,ut facilè cõtingit in jis,qui diù confeſſionem diſtulerunt,ad hoc teneri videtur,ſicut etiam qui confitetur in articulo mortis,quia tunc debet majori cum ſecuritate ſuæ ſaluti conſulere; In aliis autem ordinariis confeſſionibus eſto hoc non ſit neceſſarium,adhuc tamen conſultiſſimũ erit ſemper habere univerſalem dolorem de omnibus mortalibus, ſi quę fortè commiſſa ſint,& tunc in mentem nõ veniant; ita docet Averſa *q.11.ſect.6.*ubi proindè cõſuluit pęnitentem, ut ſemper de peccatis ex motivo generali, & attritionem concipiat ex motivo univerſali, complectente etiam aliud peccatum ſibi occultum, & invincibiliter oblitum,ſic enim ſaltem virtualiter,& implicitè hujuſmodi attritio attingit etiam hoc peccatum, ac proindè eſt adhuc ſufficiens diſpoſitio ad gratiam,quia verè, & realiter voluntas per illud motivum generale avertitur ab omni peccato, ſuper quod cadit tale motivum,& ita non ponit obicem gratiæ, ſolùmque remanet obligatio confitendi poſtea,& expreſsè, ac formaliter pœnitendi de illo alio peccato, ſi quando poſteà in mentem veniat. Si verò pœnitens (inquit) attritionem concipiat ex motivo, quodam ſpeciali, utpotè de peccatis furti ob turpitudinem propriam contrà juſtitiam, & ſimul habeat aliquod aliud peccatum diſparatum,ut luxuriæ contrà caſtitatem, de quo nunc non recordatur; certè illa attritio nec virtualiter,nec implicitè ad hoc aliud peccatum extenditur, undè in eo caſu ait, quòd qui cum tali attritione confiteretur de ſuis peccatis,prætermiſſo aliquo, de quo non recordatur,licèt validum eſſet ſacramentum,non reciperet gratiam, atq; ideò eſſet ſacramentum informe.

Sed quamvis hæc doctrina ſit optima, quod tamen ultimò addit de attritione ex motivo ſpeciali concepta, ſcilicèt, turpitudinis ſpecialis alicujus peccati, non poſſe virtualiter extendi ad aliud peccatum præſertim invincibiliter oblitum,ac proindè defectu talis extenſionis dari poſſe ſacramentum validum, ſed informe, jam refutatum eſt *q.præc.n.410.*quia nemo dolere poteſt de peccato furti,ut furti tantum,non dolendo de ipſo,ut habet rationem peccati, ut ſic, nec poteſt dolere de turpitudine ſpecifica tantùm furti.,nihil prorſus curando de generica,& abſtrahendo ab ipſa, quamvis enim genus à ſpecie abſtrahere poſſit, non tamen ſpecies à genere, & qui ſic dolendo ex motivo ſpeciali furti accederet ad ſacramentum,eſt,ac ſi diceret: doleo de peccato furti, quatenus furtum eſt, non dolendo de ipſo,quatenus peccatum eſt, ut ſic, & offenſa Dei; ſivè doleo de hoc peccato furti ob turpitudinem ſpecificam, non verò genericam, & ideò non curo, quòd Deus ſit offenſus ſecundum rationem genericam,modò non ſit offenſus ob ſpecificam; quæ diſpoſitio ad confeſſionem ridicula eſſet, ut notat Poncius *diſp.46.q.3.n.24.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De dolore,& propoſito requiſito ad Confeſſionem Venialium.

415 Dictum eſt *art.præc.* ab initio, aliquem actum interioris pœnitentiæ, ſeù aliquem dolorem formalem, & expreſſum eſſe neceſſarium, non ſolùm ad effectum, ſed etiam ad eſſentiam hujus ſacramenti in confeſſione mortalium, ita quòd ut confeſſio ſit valida,non ſufficit negativè ſe habere, neque cõplacendo,neq;diſplicendo,ſed omninò requiritur formalis diſplicentia, & dolor peccatorũ,dictum eſt etiam in eodem *art.n. 147.*ſimul cum tali dolore remitti propoſitum firmum,& efficax de cętero nõ peccandi;Quia ergo in ſuperioribus dictum eſt,pariter peccata venialia etiam ſola abſque mortalibus eſſe poſſe materia ſufficientem hujus ſacram. nunc quæritur,an ſimilis diſpoſitio ſit quoque neceſſaria in confeſſione venialium pro eorum remiſſione, vel aliqualiter differens ſufficiat, attenta levitate peccati venialis.

Prima itaq; Difficultas eſt, an in confeſſione, quę fit de venialibus, requiritur dolor formalis, & expreſſus ſaltem per modum attritionis, & abſolutus, ac efficax, ſicut dictum eſt requiri in confeſſione mortalium. Affirmant Recentiores paſſim, quia adhuc in confeſſione venialium procedit eadem neceſſitatis ratio, ſiquidem talis confeſſio debet adhuc eſſe vera accuſatio,& ut ſit materia ſufficiens ad valorem ſacram. debet eſſe cum dolore, & deteſtatione talium peccatorum, & hic actus eſt adhuc de neceſſitate, & ſubſtantia ipſius Sacramenti; Hoc etiam deducunt ex doctrina Conciliorum, in quibus partes hujus Sacramenti aſſignantur contritio, confeſſio, & ſatisfactio, nomine autem contritionis non poteſt intelligi dolor imperfectus, ſeù diſplicentia inefficax; contritio enim eſt deteſtatio peccati commiſſi, ut definit Tridentinũ; illa autem diſplicentia inefficax non eſt deteſtatio, aut retractatio, imò poteſt ſtare ſimul cum propoſito iterum committendi illud peccatum & cum ipſo peccato actuali;eſt autem incredibile, quòd Deus remittat peccatum etiã veniale habenti complacẽtia in ipſo, nec deſerenti formaliter, aut ſaltem virtualiter priorem voluntatẽ peccaminoſam. Ex quo deducunt, eum, qui confitetur de ſolis peccatis venialibus non habens conſcientiam alicujus mortalis; adhuc teneri ſub gravi obligatione habere talem actum, alioquin tunc committeret mortale peccatum ſacrilegii; Et quamvis nullus teneatur confiteri venialia peccata, vel mortalia aliàs confeſſa; tamen ſuppoſito, quòd de jis confiteri velit, faciatque de jis materiã totalem nõ habens aliam materiam neceſſariam, ex hac ſuppoſitione tenetur accedere cum eorum dolore actuali abſoluto, & efficaci, partes enim eſſentiales hujus ſacramenti ſunt contritio, & confeſſio, ac proindè ſine vero, & efficaci dolore ſacramentum hoc conſtare non poteſt; ita Lugo *diſp.4.ſect.8.*Averſa *qu. 11.ſect. 1.* & alii Recentiores paſſim, imò Amicus *diſp. 6.ſect. 4.* quamvis ad remiſſionem venialium per alia ſacramenta,ſcil. Baptiſmum, & Extremam Unctionem concedat, attritionem etiam virtualem ſufficere poſſe,excipit tamen pęnitentiæ ſacram. in quo inquit, tàm ad remiſſionem mortalis,quàm venialis requiri formalem dolorem, & formalem retractationem de peccatis.

456 Dicendum tamen ait, quòd licèt attritio neceſſariò prærequiratur in ſuſcipienre hoc ſacramentum, tanquam diſpoſitio ad tollendum obicem, & abſolutionem obtinendam mortalium, ac etiam venialium,quando ſint cum mortali conjuncta, tamen quando ſunt ſeparata,ut accidit in juſtis,talis diſpoſitio nõ eſt neceſſaria ad tollendum obicem,ut eorum abſolutionem ſacram. influere poſſit, ſed ſufficere etiam poteſt aliqua minor diſpoſitio,nempè actualis non complacentia de talibus peccatis, & voluntas recipiendi effectum remedii, quod aſſumit,ut à venialibus purgari poſſit, hæc enim cenſetur virtualis quædam peccati venialis deteſtatio, dùm homo vult ejus medicinam aſſumere,ut ab eo purgetur. Ita jam ſtatuimus *d.qu.9.*hujus *diſp.artic.1.num. 250. & art. 2.num. 257.* cum Auctoribus ibi citatis,& ſequuntur Soto, Ledeſma, Henriquez, Nugnez & alii Neoterici dicentes,ſufficere aliquã retractationem virtualem per quemcumq; actum, quo quis deſiderat emundari à venialibus, & tenet ex noſtris,Hiribarnes *diſput.19.ſect.2.*Probatur autem

autem ex dictis l.c.nam ſola attentione abſq; comite ſacram. ſufficit in homine juſto ad deletionem venialis ex dictis n. 248. ergo ad tollendū obicem in ſacram. qui talem remiſſionem impedire poteſt aliqua diſpoſitio minor attritione formali ſufficere poteſt, cōſequentia patet; quia ad tollendū obicem minùs requiritur, quàm ad ipſum veniale tollendum, ergo ſi ad delendū ipſum veniale ſatis eſt attritio ad tollendum obicem, in ſacramento minùs requiritur.

Confirmatur, quia ad expellendum obicem reſpectu mortalis, ejuſque remiſſioni viam aperiendā eſt ſufficiens diſpoſitio ipſa formalis attritio ex dictis art. præc. ergo ad tollendum obicē reſpectu venialis, ejuſque remiſſionis impetrandę in ſacramento minor diſpoſitio ſufficere poterit, quæ ſcilicet ſit attritio virtualis; Conſequentia patet; quia peccatū mortale eſt gravis Dei offenſa, & maxima averſio ab eo, veniale verò levis omninò. & exigua, cùm gratiæ, & amicitiæ Dei non opponatur, ut igitur homo ſuſcipiens ſacramentū nō dicatur ponere obicem remiſſioni venialis, ſatis erit, ut ad ſacramentum accedat ſine actuali complacentia venialis, & cum affectu recipiendi ſacramentum, ejuſque effectum, cùm tale deſiderium ſit virtualis quędā retractatio venialis, quatenus homo paratus eſt ſumere remedium talis mali deſtructivū. Deniq; probatur, quia oppoſita ſententia ſequitur, nunquam venialia verè remitti in ſacram. pœnitentię, quia jam ſemper inveniretur remiſſio facta per attritionem præcedentem, quod diximus ex ſe habere vim delendi veniale extrà ſacramentum; Et inſuper ſequeretur, quòd magis, vel æquè rigoroſa diſpoſitio requirerentur ad remiſſionem peccati levis, & gravis, quod juſtitiæ non convenit; Itaq; concludēdum eſt, ſacramentum pœnitentiæ ad fructum remiſſionis peccatorum non exigere, niſi effectum illum, qui ſufficiens eſt ad tollendum obicem, qui valorem. & fructum ſacramenti poteſt impedire, & quia obex mortalis nequit tolli per affectum, qui ſit minor attritione formali, vel dolore abſoluto, & efficaci, ideo illum exigit; Quia verò ad tollendum obicem venialis ſatis eſt alia diſpoſitio minor jam declarata, ideò ipſa ſuppoſita pęnitentiæ ſacr. vi ſua propria poteſt omnia abolere venialia, ad quæ ſe extendit exigua illa diſpoſitio, nam minor retractatio requiritur ad remiſſionem venialis, quàm mortalis, ut etiam concedit Amicus loc. cit. nec ulla eſt ratio, ob quam pœnitentiæ ſacramentum ab hac univerſali regula excipi debeat.

417 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ dicendum eſt, quòd licèt ad conſequendum fructum hujus ſacramenti pro remiſſione mortalium neceſſaria ſit attritio formalis ad tollendum obicē ob peccati mortalis gravitatem, tamen ad conſequendum fructum pro remiſſione venialium ob eorum levitatē ſufficit alia diſpoſitio minor jam declarata, nempè ut homo non habeat actualem cōplacentiam talium peccatorum, & habeat voluntatē recipiendi effectum remedii, quod aſſumit, hæc enim eſt quædam virtualis attritio, & deteſtatio peccati, dùm homo vult efficaciter ejus medicinam, & antidotum aſſumere, tali enim actu ſufficienter excluditur quælibet complacentia peccati venialis, & quolibet propoſitum committendi iterum illud peccatum, undè licèt non ſit diſplicentia ita perfecta, ſicut eſt formalis attritio, eſt tamen diſplicentia efficax, ſicut illa, deſiderium enim, quo juſtus cupit à peccato emundari per ſuſceptionem ſacramenti, eſt quædam ſaltem virtualis deteſtatio, & retractatio peccati, dùm homo vult ejus medicinam aſſumere, & quamvis non ex ſe ſufficiat extrà ſacramentum ad deletionem venialis, ut attritio formalis, dicimus tamen, ad id ſufficere cum ſacramento, quia ſufficit ad tollendum obicem pro effectu ſacramento conſequendo. Quando vero dicitur, attritionem, & dolorum formalem etiam in confeſſione venialium eſſe ſaltem neceſſarium ad valorem hujus ſacramenti, quia à Conciliis ponitur ejus pars eſſentialis, & ſine vero, & efficaci dolore hoc ſacramentum conſiſtere nequit.

Reſpond. Hiribarnes loc.cit. quòd licèt Sacramentum pœnitentiæ ſecundum rationem ſuam ſpecificam requirat attritionem formalem ad ſui rectitudinem, & conſtitutionem; attamen facta ejus conſtitutione non exigit attritionem ad obtinendum effectum remiſſionis venialium in homine juſto, ſed ſatis erit aliqua minor diſpoſitio, qua rettactentur venialia, & non erit opus attritione; undè ſi quis ad confeſſionem accedat cum ſolis venialibus, ſufficit, ut de uno ſolo formalem habeat attritionem pro conſtitutione ſacramenti, ad conſequendam verò aliorum remiſſionem ſufficiet alia diſpoſitio minor jam declarata. Hæc tamen reſponſio parum, vel nihil juvare videtur, dicunt enim Adverſarii, quòd in tali caſu ex vi attritionis unius tantū peccati venialis recipit ille juſtus gratiā ſacramentalē, quia nullum ponit obicem, etiamſi non accedat cum dolore ſufficiente ad remiſſionē omnium venialium. Poſſet ergo dici, ad valorē confeſſionis venialium poſſe etiam ſufficere attritionem virtualem jam explicatam, cùm hæc æquivaleat deteſtationi; & retractationi formali ipſorum, ut jam dictum eſt, & quando Cōcilia dicunt, ad valorem confeſſionis neceſſariam eſſe attritionem formalem, & verum, ac efficacem dolorem, loquuntur præſertim de confeſſione mortalium, vel venialium cum aliquo mortali nam pro pura confeſſione venialium poteſt etiam ad ipſius valorem ſufficere attritio virtualis jam explicata, quam tamen ſolutionē aliorum judicio ſubmitto, quæ ſi non placet, dicatur cum prima ſolutione, quòd licèt ad valorē, & rectitudinem ſacramenti requiratur formalis attritio ſaltem de uno veniali, non tamen requiritur ad effectū remiſſionis aliorū, quæ in confeſſione explicantur, ſed alia minor diſpoſitio ſufficere poteſt; undè licèt attritio illa formalis nō extendatur ad omnia venialia, ſed tantùm ad unum ſacram. illud per aliam diſpoſitionem minorem ad cætera venialia extenſam cūcta peccata remittet in confeſſione manifeſtata, & ſic adhuc habetur intentum, quòd ab obtinendam venialium remiſſionem per hoc ſacramentum non eſt neceſſaria attritio formalis, ſed poteſt etiam ſufficere diſpoſitio minor jam explicata.

418 Secunda Difficultas eſt, an debeat etiam pęnitens dolere de omnibus venialibus, quæ confitetur. Affirmant aliqui, teneri pœnitentem ſibi mortali habere ſaltem attritionem de omnibus venialibus, quę confitetur, itaut quamvis non ſit obligatus de jis confiteri, & poſſit, quę voluerit, pręteremittere, tamen ſuppoſito, quòd velit de jis confiteri, debere accedere cum eorum cōtritione, alioquin peccaret mortaliter, ita referunt Suar. diſp. 20. ſect. 6. Lugus diſp. 14. ſect. 8. Averſa q. 31. ſect. 6. fundamentum eſt, quia cùm materia hujus ſacram. ſit confeſſio cum dolore, niſi quis habeat verum dolorem, ſubjicit pro materia ſacram. potiùs hiſtoricam narrationem, quæ non eſt apta materia, quarè facit injuriam notabilem ſacram. & ita ſacrilegium committit; Sicut ſi quis porrigeret v. g. pro materia Euchar. aliquam formulam panis non triticei, etiamſi conjunctim cum aliis formulis panis triticei, & faceret, ut Sacerdos ſimul ſuper omnes cum intentione conſecrandi verba proferret; Ita & in hoc ſacram. facit, ut Sacerdos indiſtinctè proferat verba abſolutionis ſuper omnia peccata ei expoſita, quorum tamen aliqua non fuit apta materia, & ſuper ea redditur falſa forma: *Ego te abſolvo à peccatis.*

Cōmunis autem opinio Recentiorū affirmat, non teneri pęnitētem ex neceſſitate de omnibus venialibus dolere, quę confitetur, ſed tantùm de aliquibus, ne irritum ſit ſacram. quia dùm pœnitens cōfitetur aliqua peccata cum diſpoſitione idonea ad valorem, & effectum ſacram. jam ponit in tuto exercitium ſacram. ne ſit irrirum, & ne careat effectu, & de reliquo non irrogat gravem injuriam ſacram. exponendo ſimul aliqua peccata venialia, quæ quidem non ſunt materia gravis, & neceſſaria, de quibus nō percipiat in ſe diſpoſitionem, & attritionem requiſitam ad eorum remiſſionem; ſicut nō peccant, qui ſimul cum peccatis accuſant, ſe de quibuſdam defectibus, & imperfectionibus rationem culpæ non attingentibus, ſed tantùm importantibus carentiam majoris perfectionis, quę nō eſt propriè materia hujus ſacram. Ita Suar. Lugus, Averſa, Henriquez, Hurtado, & alii Recentiores, qui negant paritatem ex materia Euchar. deductam in allato exemplo ob incertitudinem, & difficultatem, quæ eſſet in diſcernendo, quę formulæ ſint conſecratæ, & Sacerdos, qui eas non diſcernit, directè profert verba conſecrationis ſuper omnes, & ſingulas formulas, ac ſi de ſingulis diceret: *Hoc eſt corpus meum*, quod eſſet grave inconveniens ſuper aliquam formulam incapacem; At Miniſter abſolvens profert verba abſolutionis directè ſuper ipſum pœnitentem dicendo: *Abſolvo te*, qui pœnitens eſt verè capax abſolutionis pęnes materiam habilem, quam offert, eorum peccatorum, de quibus ſe cum debito dolore accuſat.

419 Hic dicendi modus rectè procedit tenendo communem opinionem, quòd in confeſſione venialium requiratur dolor formalis, & expreſſus ſaltem per modum attritionis, ſicut requiritur in confeſſione mortalium; ſic, inquam, verum eſt, non teneri pœnitentem ex neceſſitate de omnibus venialibus dolere, quæ confitetur, ſed tantùm de aliquibus, ne irritum fiat ſacramentum. Verum tenendo juxtà doctrinam pręmiſſam in ſolutione pręcedentis Difficultatis, attritionem formalem, & expreſſam non eſſe neceſſariam diſpoſitionem pro remiſſione venialium, quando non ſunt cum mortalibus admixta, ſed ſufficere poſſe minorem diſpoſitionem, nempè actualem non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem efficacem recipiendi effectum remedii, quod aſſumit, ut à venialibus purgari poſſit; juxtà, inquam, hanc doctrinam tenetur pęnitens accedens ad ſacramentum cum ſolis venialibus de jis omnibus hoc modo dolere, & pęnitere, nam talis pœnitētia importat ſolùm non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem recipiendi remedium, quod aſſumit; ſed talis actus debet neceſſariò cadere ſuper omnia venialia, quæ confitetur, nam ſi ad omnia non ſe extenderet, jam de aliquo veniali complacentiam actualem haberet, vel diſplicentiam inefficacem, nec voluntatem efficacem haberet aſſumendi remedium pro purgatione omnium venialium, quæ confitetur; undè ſic accedendo gravem injuriam faceret ſacramento, & ideò loquendo de iſta minori diſpoſitione, quam diximus, pro remiſſione venialium ſufficere mediante ſacramento, debet talis pęnitentia ad omnia venialia ſe extendere, quæ in confeſſione aperiuntur, alioquin confeſſio irrita eſſet, & confitens mortaliter peccaret, quia cum obice accederet ad ſacramentum.

420 Tertia difficultas eſt, An etiam in confeſſione venialium requiratur propoſitū efficax formale, vel virtuale vitādi omnia peccata venialia; Nam ex una parte tale propoſitum videtur neceſſarium ad excludendam voluntatem iterū venialiter peccādi; Ex alia

verò parte videtur, quòd non quia ſcimus nos non poſſe vitare omnia illa, ſuppoſita fragilitate noſtra, ūdè dicitur de venialibus, quòd *ſepties in die cadit iuſtus*, nemo autem poteſt efficaciter velle, quod videt eſſe moraliter impoſſibile, non enim dari poteſt voluntatis propoſitum, & decretum efficax circa obiectum cognitum impoſſibile, ut conſtat ex dictis *diſp.* 7. de Anima *q.* 5. *ar.* 2. *n.* 102. hinc oritur dubium, quonam modo poſſit pœnitens hoc propoſitum habere circà peccata venialia in poſterum vitanda.

Pluribus modis hanc poſſibilitatem explicare conatur Lug. *diſp.* 14. *ſec.* 9. & inquit præſertim *n.* 137. quòd poteſt pęnitēs habere propoſitum univerſale vitandi omnia, & ſingula venialia, non quidem per modum volitionis abſolutæ, quæ dicat, volo nunquam peccare venialiter, ſed qua dicat, quantum eſt ex me, volo nunquam peccare venialiter; neque enim repugnat, quòd aliquis velit, non voluntate abſoluta, ſed efficaci, quantum eſt de ſe, procurare aliquid, quod ſcit non futurum; Et quando dici ſolet, non poſſe dari voluntatem abſolutam circà obiectū impoſſibile, inquit, intelligi debere de voluntate omninò abſoluta, non de voluntate efficaci, quantum eſt ex me, ſic enim peccator per contritionem deteſtatur efficaciter peccata, non quidem volendo abſolutè, quòd non fuerint, ſed volendo efficaciter, quantum eſt ex ſe, quòd non fuiſſent, ſic poſſū ego velle volare voluntate, non abſoluta, ſed efficaci, quantum eſt ex me, & velle, ac conari, quantum eſt ex me, movere ſaxum, quod meis viribus moveri non poſſint, quanto ergo magis poſſum ſimili voluntate velle nunquam peccare venialiter; hæc autem voluntas licèt non ſit abſoluta, ſufficit tamen ad valorē ſacramenti, ad quod ſolùm requiritur voluntas talis, quæ expellat voluntatem peccandi, illa verò eſt talis, nam cum illa nunquam poterit coniungi volūtas actualis peccandi. Deinde *n.* 130. alium dicendi modum ſubdit, quem ſequitur Averſa *q.* 11. *ſect.* 2. & eſt, quòd pœnitens poteſt habere dolorem, & propoſitum de iis peccatis venialibus, quę confitetur, & habere dolorem de his omnibus, ac propoſitum vitandi omnia ſimilia, non enim commiſerat omnia poſſibilia, vel omnibus modis poſſibilibus; Neq; neceſſe eſt in peccatis venialibus, ſicut in mortalibus, habere animum omnia poſſibilia vitandi, in hoc enim differret confeſſio de venialibus à cōfeſſione mortalium, in qua requiritur ſemper univerſale propoſitum vitandi omnia, quod propoſitum non requiritur ad remiſſionem venialium; tale igitur propoſitum ſatis erit ad conſequendam veniam omnium eorum, quæ confitetur.

421 Neuter tamen horum modorum dicendi placet; non quidem primus, nam difficultas urget, quomodo poſſit quis pro tunc habere tale propoſitum efficax faciendi deinceps toto tempore ſequenti id, quod apprehendit impoſſibile, etenim ut inquit Doct. 2. *d.* 6. *q.* 1. *ad princ.* & eſt doctrina cōmunis in omni Schola; nihil vult efficaciter voluntas, niſi ad quod diſponit media, per quæ finis acquiri poteſt, & talis volitio efficax nunquā eſt alicuius impoſſibilis, quia nullus conſiliatur de impoſſibilibus, nec præcipit intellectui practico ad inquirendum mediū ad illud, & in hoc ſenſu explicat Doct. dictum Philoſ. 3. *&* 6. *Ethic.* quòd *electio non eſt impoſſibilium*; Undè falſum eſt, me habere poſſe voluntatem efficacē ad volandū, vel ad movendum ſaxum excedentis ponderis, ac etiam falſum eſt, peccatorem per contritionem deteſtari efficaciter peccata cōmiſſa, non quidem volendo abſolutè, quòd non fuerint, ſed volendo efficaciter, quantum eſt ex ſe, quòd nō fuiſſent, neque in hoc ſenſu benè explicatur efficacia doloris de peccatis præteritis, ſed explicari debet, ut diximus ab initio huius *diſ.* *q.* 1. *a.* 1. *n.* 10. quatenus poteſt voluntas ferri in peccatum pręteritum, ut moraliter præſēs per modum habitus nondùm retractati, & ſicut poteſt illud efficaciter deteſtari; in peccatum verò, ut formaliter præteritum actu abſoluto, & efficaci ferri non poteſt deſiderando, quantū eſt ex ſe, ut peccatum commiſſum nō ſit commiſſum, quia hic actus eſt ad obiectū impoſſibile, ferri tamen poteſt actu conditionato, facta ſcilicet hypoteſi, quòd ſit proſſibile, ut peccatum commiſſum non fuerit cōmiſſum, & hoc modo poteſt, ac debet pœnitens velle, ut peccatum non ſit commiſſum, ſed hic eſt affectus ſimplicis deſiderii, non verò voluntatis efficacis, quia hæc ſupponit abſolutam obiecti poſſibilitatem, non conditionatam tantùm, & cum ordine ad executionē mediorum. Nec etiam placet alter dicendi modus, quòd ſcilicèt in confeſſione venialium ſatis ſit habere propoſitum non iterum committendi venialia, quæ confeſſus eſt, neque ſit opus habere propoſitum alia omnia evitandi; Non, inquam, placet, quia cum tali propoſito limitato ad ſimilia peccata tantùm evitandi, qualia confeſſus eſt, ſeū non iterum illa committendi, ſtare poteſt voluntas committendi venialia alia diverſa, ſivè diverſæ ſpeciei; ſicut ergo in confeſſione mortalium non ſufficit propoſitum ſic limitatū, ſed requiritur propoſitum univerſale omnia prorſus mortalia evitādi, ſivè ſimilia, qualia confeſſus eſt, ſivè diſſimilia, & alterius ſpeciei, ità etiam dicendū de propoſito in confeſſione veniali ū requiſito ad conſequendam veniam omnium eorum, quæ confeſſus eſt.

422 Dicendum ergo potiùs eſt, quòd poteſt, ac debet penitēs nō ſolùm actu dolere de omnibus præteritis, & dicere, quòd nullum vellet commiſiſſe; ſed etiam habere propoſitum faciendi diligentiam vitandi in poſterum quodlibet ſingillatim, & cautè vivendi quantū ex divina gratia ſibi concedetur; poteſt, inquā, habere propoſitum efficax faciendi, quantum eſt ex parte noſtra, & quantū in nobis fuerit ad vitanda illa, quātùm humano modo fieri poſſit, ſuppoſito divinę gratiæ auxilio, hoc enim propoſitū ſufficit ad hoc, ut in Sacr. remittantur omnia venialia, quę fiunt confeſſionis materia, ita videtur ſentire Suar. *d.* 4. *ſec.* 3. *n.* 5. neq; diſſentit Averſa *l.c* ubi gratis concedit, quòd hęc diligentia apprehendi poteſt à pęnitēte ut poſſibilis, & quod excludit voluntatē cōmitendi ullum veniale in particulari, non enim benè ſtaret cum illo animo voluntas mentiendi venialiter, aut negligēter orandi, & ſic de ſimilibus, atq; hoc propoſitum de futuro ſatis corriſpondet cū dolore de præterito, & ſufficiet ad conſequendam veniam de omnibus anteà cōmiſſis.

Ad fundamentum in oppoſitum, ſeū rationem dubitandi, quòd nemo poteſt efficaciter velle, quod videt eſſe moraliter impoſſibile; non poteſt autem homo in hac vita ob eius fragilitatem omnia venialia evitare; dicendum eſt, quòd licèt hoc verum ſit, adhuc tamen homo verè, & realiter phyſicam ſemper habet potentiam, & auxiliū ſufficiens ad vitanda quęlibet peccata venialia, nec vitando plura, & plura talem amittit potentiam, vel viribus deficit, & auxiliis ad alia vitanda ſufficientibus, unde non ſe habet ad evitanda omnia venialia, ſicut ſe habet ad volandum, vel movendum ſaxum excedentis ponderis, quæ erant exempla à Lugo allata, ſiquidem ad hæc habet homo non tantùm impotentiam moralem, ſed etiam phyſicam. Quando ergo dicitur homini impoſſibile omnia evitare venialia, hoc eſt intelligendum de impotentia morali duntaxat, non autem phyſica, & hoc eſt propter maximam, & ingentē difficultatem, & ob magnam ſui fragilitatem, ac divinam permiſſionem; quamvis autem voluntas circà obiectum phyſicè impoſſibile efficax propoſitum habere non poſſit, poteſt tamen illud habere circà moraliter impoſſibile ſuppoſito auxilio divino, atque ideò poteſt homo proponere efficaciter modo iam explicando ab omnibus venialibus in futurum abſtinere, etiamſi ſciat, vel probabiliter dubitet, ob magnam difficultatem, & ſui fragilitatem ſe in plura, & plura ſucceſſivè lapſurum; aliis etiam modis hanc poſſibilitatem propoſiti efficacis circa venialia evitanda Poncius oſtēdere, & ſuadere cōatur *d.* 46. *ſec.* 3. propè finem, qui mihi nō multū ſatisfaciūt, & apud ipſū videri poſſunt. Alia plura hic diſputari ſolēt de contritione, ſeū interiori pęnitentia, prout denotat internā animi diſpoſitionem ad confeſſionem externam; quæ ſufficienter patent ex dictis de Pęnitentia virtute *q.* 5. *&* 6. huius Diſputationis.

QUÆSTIO SEXTA.

De Confeſſione ſacramentali, an ſit ad ſalutem neceſſaria, & quomodo.

423 POſt contritionem, quę erat prima pars materialis, & eſſētialis huius ſacramenti, agēndum eſt de Confeſſione externa, quę eſt altera pars eſſentialis ſacram. huius, & notior contritione, ut per ſe ſenſibilis; Solet autem confeſſionis nomen pluribus modis uſurpari; Primò in genere pro confeſſione cuiuſcumque veritatis, quo modo pertinet ad virtutem veracitatis. Secundò pro confeſſione fidei, quæ pertinet ad eandem fidei virtutem. Tertiò pro confeſſione laudis, quam Deo deferimus ob eius beneficia, opera, & attributa, quæ ad virtutē Religionis ſpectat; Quartò pro confeſſione iudiciali in foro externo quæ ad virtutē Juſtitiæ pertinet, ut Ariſt. docet 4. Ethic. *cap.* 7. Quintò tandem ſumitur pro manifeſtatione, ſeū accuſatione ſuorum peccatorum in foro interno corā legitimo Miniſtro, ad finem obtinendi eorum veniam, & remiſſionē per abſolutionem, & hæc eſt propriè ſacramentalis confeſſio, de qua hic eſt ſermo, & eſt actus pęnitentiæ virtutis, qui hic conſideratur, ut altera pars ſacramenti huius; Definitur autem, quòd ſit *accuſatio ſacramentalis legitima de peccatis propriis, facta coram Sacerdote ad eorum veniam impetrandam virtute clavium*; prima particula ſtat loco generis, quia confeſſio Sacramentalis non eſt qualiſcunque peccati propalatio, & manifeſtatio, reliquæ verò locum tenent differentiæ, nam *Sacramentalis* ponitur ad differentiam cōtritionis, quæ eſt confeſſio coram Deo, & aliarum confeſſionum non ſacramentalium; *legitima* ponitur ad differentiam eorum, quę carent conditionibus requiſitis; *de propriis peccatis* ponitur ad differentiam confeſſionis laudis, in qua Deum laudamus, non autem noſmet accuſamus; *facta coram Sacerdote* ad differentiam confeſſionis externi fori factæ coram Judice criminali; additur tandem, *ad veniam impetrandam* ad differentiam confeſſionum pœnalium, quæ ad punitionem præciſè ordinantur, non ad veniam.

Jam ſuprà dictum eſt *q.* 11. huius Diſp. ab initio *n.* 304. hoc pœnitentiæ ſacramentum fuiſſe à Chriſto Domino immediatè inſtitutum, ſupponens ex parte Miniſtri poteſtatem remittendi, & retinēdi peccata, ex parte verò pœnitentis includere dolorem, confeſſionem, & ſatisfactionem de peccatis commiſſis, ut materiam huius ſacramenti, hancque veritatem contineri in illis verbis Chriſti Jo. 20. *quorū remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Nunc igitur inquirendum eſt, an hoc pęnitentiæ ſacram. fuerit à Chriſto quoad omnes ſuas partes completè inſtitutum.